

nue defensae, quod, quae longis circuitibus verborum ambagibus circumscribi deberent, interdum brevi & nervoso vocabulo exprimantur. Neque ulli dubitamus, *Sanctos Apostolos, si integrum illis esset, interesse controversiis cum adversariis gestis, istos terminos abstractivos & concretivos recte adhibitos & ipsorum, seu Spiritus S. mente applicatos toto animo esse approbaturus calculo suo*, cum idem re ipsa contineant, quod in scriptura de hoc mysterio nobis communicarunt, tum quoad verba, tum quoad sensum & rem ipsam.

§. V. Hac ratione falsum omnino est, quod III. *Scriptura nullibi urgeat vocabula abstractiva & concretiva*. Etli enim formalitatem horum vocabulorum technicorum & notionum non observet, adhibet tamen talia vocabula, quae ubi edisserendum sit in Cathedra, quomodo inter se differant, aliter per rerum naturam distingui nequeunt, quam ut dicatur, alia esse abstractiva, alia concretiva. Si itaque urget scriptura duplicia vocabula, ubi de Communicatione Idiomatum agit, urget sane etiam Doctorem, ut modum discriminis illorum ostendat vocabulo aliquo ex disciplinis organicis, ideo nempe inventis, & a Deo ad hominis excolendum intellectum concessis, petito. Prius vero Scripturam S. facere, mea probatione non eget. Propositiones enim uti personales, ita quoque idiomaticae, quas in Sancto Codice satis cumulatas per utrumque foedus legimus, subjecti vel praedicati loco, nunc abstractiva, nunc concretiva vocabula sistunt, pro rei ipsius indole, ad quae nisi accurate attendatur, vim inferri mysterio sanctissimo nullum plane est dubium. Nam & res ipsa tandem coegit quoque adversarios, ut terminos adhiberent eosdem, dummodo recte id facerent, nec usum in abusum converterent, *Abusus vero non debet legitimum usum tollere*. Magno iudicio Lutherus nos docuit, divinitus esse factum, ut hisce vocibus, *Abstractum & Concretum, res omnium summae in Articulo de Christo distinctius & clarius explicarentur*. Ita scribit JOH. WIGAN-

WIGAN-